

10 conloquar. *PA.* quis homost? [o] Charine, in tempore
ipso mi advenis.

CH. bene factum. *PA.* audisti[n]? *CH.* omnia. age, 975
me in tūis secundis respice.

tuos est nunc Chremes: facturum quae voles scio ēsse omnia.

PA. memini: atque adeo longumst illum me exspectare
dum exeat.

sequere hac me: intus apūd Glycerium nunc est. tu, Dave,
abī domum,

15 propera, accerse hinc qui auferant. em quid stas? quid
cessas? *DA.* eo.

ne exspectetī' dum exeant huc: intu' despondebitur; 980
intu' transigetur siquid est quod restet. *CANTOR.* plaudite!

ALTER EXITVS SVPPPOSITICIVS

P A M P H I L V S C H A R I N V S C H R E M E S D A V O S

PA. Te exspectabam: est de tua re quod agere ego tecum uolo.
operam dedi ne me esse oblitum dicas tuae gnatae alterae:
tibi me opinor inuenisse dignum te atque illa uirum.

CHA. perii, Daue: de meo amore ac uita *nunc* sors tollitur.

5 *CHR.* non noua istaec mihi condiciost, si uoluissem, Pamphile. 5

CHA. occidi, Daue. *DA.* ah, mane. *CHA.* perii. *CHR.* id quam
ob rem non uolui eloquar.